



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. XI. Vtrùm liceat cum infidelibus communicare, aut eorum libros
legere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

162

CONCLUSIO V. Ecclesia, ac principes Christiani licet statuerunt ne ullus infidelis Christianis subiectus habeat seruum seu mancipium Christianum. Est communis. Pater ex l. Hac valitura, C. de Iudæis & Cælicolis: ubi Iudæi priuantur iurisdictione in Christianos, & prohibentur vlla ratione ad similem iurisdictionem admitti. & l. Deo nobis, C. de Episcopis & clericis, statuitur, ut, si quis Iudæus, Paganus, vel hæreticus habeat seruum Christianum, hic fiat statim liber. & cap. Nulli Iudæo, de Iudæis & Saracenis, statuitur, ut, si quis Iudæus vel Saracenus seruum emerit infidelis mercaturæ causa, qui postea vult baptizari, nisi intra tres menses venalem exponat, hic fiat sine pretio liber; & similiter, qui seruij causa emptus, aut vernacula est.

l. Hac valitura.

l. Deo nobis.

c. Nulli Iudæo.

Ratio legis est, quia hoc expedit dignitati & promotioni fidei Catholice: sicut autem principes ob vtilitatem reipublicæ possunt aliquando subditos suis rebus priuare, & dominia ab inuitis transferre, (ut patet in tributis, & præscriptione) ita idem possunt ob vtilitatem fidei.

163

Huc accedit, quod hæc subiectio sæpè est coniuncta cum periculo peruersionis serui, aut cum iniuria fidei, ut patet ex cap. Etsi Iudæos, de Iudæis & Saracenis: ubi ideo præcipitur ne Christiani Iudæis famulentur, aut suos filios laudandos dent.

c. Etsi Iudæos.

Nota, Iudæos hoc capite non dici vera mancipia Christianorum, ut aliqui putant, quia aliàs eorum bona licet à Christianis caperentur, quia bona serui sunt domini: quod tamen cap. Sicut Iudæi, eodem titulo, sub pena excommunicationis vetatur. Dicuntur igitur ibi serui Christianorum, quia ubique alienis principibus, tamquam subditi seruiunt.

c. Sicut Iudæi. Qua ratione Iudæi dicuntur serui Christianorum.

D V B I V M X I

Utrum liceat cum infidelibus communicare, aut eorum libros legere?

164

Nota Primò, hæc communicationem posse videri illicitam, ex duplici capite. Primò, iure naturæ; Secundò, iure Ecclesiastico.

Nota Secundò, nos triplicem cum infidelibus posse habere communicationem. Primò, in sacris. Et quidem iure naturæ & diuino est nobis illicitum propriè cum ijs in sacris communicare, ita scilicet ut ipsorum sacrificiorum, aliorumque rituum simus aliquo modo participes: nam hoc esset saltem, quoad actum externum, falsum cultum siue religionem profiteri. Ex iusta tamen causa licet quandoque eorum sacris possumus ita interesse, ut nulla ratione cum ijs participemus siue communicemus in sacris. vide dicta disp. 15. dub. 3. conclus. 2. §. 6.

Communicare cum infidelibus in sacris est iure naturali illicitum.

An infideles possint nostris sacris interesse.

Similiter infidelibus non debet permitti ut nostris sacris, & præsertim sacrificio intersint, quia hoc minùs decet; ideoque in Ecclesia institutum est officium sanctorum ut eos excludat. Excipe tamen casum, quo ex eorum admisione speraretur fructus, siue eorum conuersio: tunc enim admitti possent, nisi nominatim essent ex-

communicati; hi enim nullo modo permittendi sunt nostris sacris ita interesse, ut cum ijs videamur communicare. vide quæ dixi tom. 2. de Sacram. disp. 14. dub. 7.

Secunda communicatio potest esse in matrimonijs. Et hæc cum infidelibus baptizatis valide quidem contrahuntur, communiter tamen illicitè ob grauiam incommoda, quæ ex ijs nata sunt sequi. cum non baptizatis etiam inualide contrahuntur. Quæ fusiùs ostendit tom. 2. de Sacram. disp. 31. dub. 3.

165
Quæ ratio sit illicitum esse cum infidelibus communicare in matrimonijs.

Tertia potest esse in rebus ciuilibus. Et in his iure Ecclesiastico nobis est generatim prohibita omnis communicatio cum ijs solis qui sunt nominatim excommunicati, nisi sit aliqua necessitas, aut magna vtilitas: de quibus sufficienter egi tom. 2. de Sacram. disp. 14. dub. 2. & sequentibus; & dubio 12. ostendi quibus casibus liceat cum ijs communicare; & dubio 14. quale peccatum sit in casibus prohibitis cum ijs communicare.

Præterea multi Auctores docent iure Ecclesiastico Christianis specialiter prohibitum esse familiaritatem habere cum Iudæis. probant ex c. Iudæi, §. 8. & cap. Ad hæc, §. 8. & cap. finali, de Iudæis & Saracenis. Indeque inferunt decem casus in quibus prohibitum sit Christianis cum Iudæis communicare. Aiunt igitur prohibitum nobis esse Primò, cum ijs habitare; Secundò, eorum azyimis vesci, et si separatim ab ijs siue domitui ijs vescaris; Tertio, ijs medicis uti; Quarto, ab ijs medicinas accipere: multi tamen excipiunt casum necessitatis, ut si alii medici defuerint, aut non sunt tam periti, & morbus est periculosus. Item aiunt hæc intelligenda esse, ita ut non liceat à Iudæis ita accipere medicinas ut ipsas applicent; licet tamen eadem ab ijs emere, aut gratis donatas accipere, modò ab ijs nobis immediatè non applicentur. Alij tamen etiam volunt hoc prohiberi. Quintò, simul cum ijs lauari in balneo; Sextò, eos ad conuiuia invitare, aut eorū conuiuia accedere; Septimò, Christianas obsterices aut nutrices eorum liberos in ipsorum domibus nutrire; Octauò, ijs famulari; Nonò, ijs seruitutis vinculo subiici; Decimò, illis prohibetur publicis officiis inter Christianos fungi, De his autem duobus vltimis casibus satis dictum est dub. 10.

166

Circa explicationem autem horum casuum variæ sunt sententiæ, dum alij latius, alij strictius eos interpretantur, ut videre est apud Siluestrum, Armillam, Angelum, Tabienam, Rosellam v. Iudæos. Azor tomo 1. Moral. l. 8. cap. 22. Sanchez lib. 2. de Præcept. cap. 31. & alios. Quæ hic speciatim disputare omitto: nam maxima ex parte debili, aut etiam nullo nituntur fundamento, ut mox ostendam.

Sanchez.

In primis igitur quod dicunt cap. Ad hæc, & c. finali, de Iudæis, prohiberi nobis habere cum ijs familiaritatem, ita generatim dictum verum non est. Nam ibi solum prohibetur illa familiaritas, quæ continet Christiani seruitutem, aut dignitatem in famulatu subiectionem. Quæ iustissime prohibentur, cum quia hæc subiectio est indigna Christiano in terris Christianorum: tum etiā quia, cum omnis subiectio ingeneret subiecti animo

quan-

quamdam reuerentiam erga Superiorem, nata est subiectionum animos facili ad religionem Superioris inclinare. Quæ ratio locum non habet in alia familiaritate, præsertim qua Iudæus Christiano seruitute aut famulatu subijcitur. quare aliqui male ex ijs lurbus concludunt non licere Christiano habere seruum Iudæum, quia hoc ibi nullo modo prohibetur. Quare extra casus dictis capitulis, aliisque lurbis expressos, cum D. Thoma 2. 2. quæst. 10. art. 9. Siluestro v. Iudæus num. 2. & alijs, puto tunc Christianis solum prohibitam esse familiarem cum Iudæis conuersationem, quando inde ipsis imminet aliquod periculum peruerſionis, aut adest scandalum. quo casu iure naturæ illicita est.

Deinde, quinque primos casus probant ex cap. Nullus, 28. quæst. 1. quod desumptum est ex canone 11. Concilii Trullani. Sed hi canones non sunt ipsius VI. Synodi, diu post eam Synodum priuata quorundam Episcoporum auctoritate illegitimè habitæ: unde etiam nunquam à Romana Ecclesia fuerunt recepti, præsertim cum hanc in pluribus damnent, & apertos errores contineant, atque ita nullius auctoritatis sunt. vt ostendi tomo 2. de Sacramentis disp. 20. dub. 9. numer. 89. Quare non est opus nos in casibus suis explicandis diutius inharere. Primum tamen casum aliqui etiam probant ex cap. Adhæc, de Iudæis. Sed, vt iam ostendi, ibi solum prohibetur ea cohabitatio cum Iudæis, quæ continet diuturnam Christiani in famulatu subiectionem. Christianis tamen vt medico Iudæo aut Pagano siue Saraceno grauitè prohibet Gregorius XIII. constitutione edita anno 1581. quæ incipit, *Alijs pia mem.* est quæ 28. ipsius in Bullario. Excusat tamen grauis necessitas, sicut ab alijs Ecclesiæ præceptis.

Quod autem ad usum azymi spectat, certum est esse graue peccatum eo vti tamquam ceremoniam legis veteris, siue vt hæc obseruetur. Ceterum aliàs comedere panem azymum siue villo simili respectu, nescio cur sit peccatum, eum inter Christianos etiam sæpe viurpetur: & aliàs non liceret comedere panem consecrationi præparatum, quia hic azymus est.

Quare Auctores illius canonis de non edendo azymo Iudæorum mihi non nihil suspecti sunt, quod eum sicut alios quosdam in odium Latinorum ediderint, vt suggillarent nostram consuetudinem consecrandi panem azymum, quam deinde illorum posteræ in Ecclesia Latina apertè damnarunt.

Sextum casum probant ex can. 4. Concilij Agathensis, vbi Christianis prohibetur adire Iudæorum conuiuia, eosque ad sua vocare, eò quod ipsi vt immundos reiciant cibos quibus Christiani vescuntur, atque ita inferiores incipiant esse Christiani Iudæis, si non iis quæ illi nobis apponunt vtamur, illi verò à nobis oblata contemnunt. id est, secundum Siluestrum v. Iudæus, numer. 2. dicto 2. ne nos videamur ijs minus sancti, dum minus quam ipsi abstinemus. Sed alius horum verborum est sensus, ne scilicet videamur nos iis hac in re Coninck de act. supernat.

tamquam inferiores cedere, nosque aliqua in re iis submittere, comedendo quæ nobis apponunt, atque ita eorum modum agendi quodammodo probando, cum contra illorum improbem, reiciendo quæ iis apponimus. Quare Rosella v. Iudæus, 1. num. 1. Angelus ibidem. Tabiena quæst. 1. num. 2. Armilla num. 4. Azortomo 1. Moral. libr. 3. cap. 22. quæst. 3. docent hanc prohibitionem non habere locum, vbi non est talis ciborum discretio, siue periculum eiusmodi contemptus ac scandali. Alii volunt hanc prohibitionem etiam in eo casu habere locum, quia in omni conuiuio exercetur magna familiaritas inter conuiuas, quæ generatim Christianis cum Iudæis prohibita est; sed, vt supra ostendi, hoc non probant. Quare hac in re putarem seruandam receptam vbiq; consuetudinem, præsertim cum illa prohibitio sit Concilij particularis, quod alibi solum obligat quatenus est moribus receptum.

Septimus casus expressè habetur cap. Adhæc, 8. de Iudæis. Aliqui autem volunt Christianis etiam prohiberi ne domi suæ Iudæorum filios nutriendos suscipiant. Sed difficulter id ex illo aut villo alio textu, aut sufficiens ratione probent. nam dictum caput expressè solum prohibet ne Christianæ nutrant filios Iudæorum in eorum domibus. Nec videtur esse eadem ratio earum quæ domi suæ eorum filios lactandos suscipiunt; nam hæc non submittunt se tamquam famulas Iudæorum seruitio; quæ ratio dicto cap. adfertur, cur non liceat Christianis in domibus Iudæorum horum filios lactare, siue educare. Nec refert quod etiam in alio casu aliqua cum Iudæis familiaritas contrahatur, quia, vt iam ostendi, non omnis familiaritas cum iis nobis est interdicta; quia aliàs non liceret cum iis miscere colloquia, aut eorum officinas emendi causa frequentare, quia hinc etiam nascitur aliqua familiaritas. Et ita dictum capitulum intelligunt Abbas ibidem num. 2. & Cardinalis ibidem.

Hinc etiam octauum casum quo prohibetur famulatus, quidam ibidem intelligunt de famulatu propriè dicto, quo aliqui pro mercede se Iudæorum seruitio mancipant, quod propriè fit quando aliquis in eorum domibus tamquam famulus habitat, aut continuò operatur: quia lus expressè hunc solum famulatum prohibet. Ita Hostiensis dicto cap. Adhæc, num. 1. & Iohannes Andreas ibidem numer. 2. Vnde sequitur secundum eos non esse Christianis prohibitum alia ratione elocare Iudæis suam operam, v. c. operando pro iis quotidie in suis proprijs domibus, aut extruendo iis domum, &c. quia tales operæ non sunt propriè famuli, accipiendo hoc nomen strictè, & prout communiter accipi solet, & prout videtur ibi à Iure accipi. vtramque autem hanc limitationem puto probabilem in locis vbi consuetudo sic ius interpretatur.

Nonum autem & decimum casum satis explicui dub. 10.

Demum Siluester supra dicto 6. & quidam alij docent, nobis non licere aliquid legare Iudæis aut Paganis. Probant ex cap. Sane, 24. c. Sane.

Gg 2 quæst.

Rosella.
Angel.
Tabiena.
Armilla.
Azor.

170
c. Adhæc.

Qua ratione
Christianis
licet aut non
licet Iudæo-
rum proles
nutrire.

Abbas.
Cardinalis.
171

Hostiens.
Iohan.
Andreas.

172
Siluester.

e. Si quis
Episcopus.

quæst. 2. & cap. Si quis Episcopus. 5. de hæreticis. Sed in priore solū dicitur nobis non licere communicare mortuis, quibus non communicamus uiuis. quod nihil facit ad rem præsentem, aut si faciat probat contrarium: quod nimirum sicut non prohibetur nobis in vita dare aliquid Iudæis, ita nec legare. In secundo verò solū prohibetur ne quis Episcopus non consanguineos aut consanguineos hæreticos aut Paganos heredes instituat. Atque ita si aliquid in præsentem probaret, etiam probaret nulli Christiano licere aliquid legare non consanguineo. At l. i. C. de Iudæis, decernitur inuálidum esse legatum factum vniuersitati Iudæorum. In alijs verò casibus credo seruandam receptam ubique consuetudinem.

173

Periculosa
cum hære-
ticis conuer-
satio.

2. Timot. 2.

Cyprian.

S. Athanas.

Irenæus.

174

Iure verò naturæ in rebus ciuilibus prohibitum est cum infidelibus communicare quoties potest inde aliquod periculum probabiliter timeri, quod simplicioribus præsertim, imò omnibus qui parum firmi in fide sunt, ex frequenti cum ijs communicatione potest faciliè imminere; & præsertim cum hæreticis, qui uerborum lenocinijs, & quidquid in Catholicorum doctrina aut vita saltem secundum externam aliquam apparentiam uidetur minùs plausibile carpendo, continuò quauis data occasione conantur aliorum animos à vera fide auertere, & in animos eorum etiam non aduertentium paulatim irrepunt, & aliquid prauis dogmatis ingenerant. Nam ut dicitur 2. ad Timoth. 2. *sermo eorum ut cancer serpit. unde & Apostolus ibidem ac alibi, atque etiam communiter Patres suadent & urgent, ut eorum familiaritatem vitemus, quantumuis videamur nobis firmi in fide.* Hinc Cyprianus lib. 1. epistola 3. aliàs 55. ad Cornel. in fine, *Declinent, inquit, de cetero fortiter, & euent dilectissimi fratres nostri uerba & colloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit. & infra: Nulla cum talibus commercia copulentur, nulla cum malis conuiuia aut colloquia misceantur, similesque ab iis tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi.* Hinc etiam B. Antonius, ut in eius vita narrat S. Athanasius, numquam hæreticis vel amica uerba est largitus; nisi quatenus hæc ad eorum conuersionem conducerent. Et suis moriens hoc vnicè commendauit, ut schismaticorum & hæreticorum uenena vitarent, suumque in eos odium sectarentur; addens, *Scitis quod nullus mihi, nec pacificus quidem sermo cum ijs aliquando fuerit.* Similia de Apostolis narrat Irenæus lib. 3. cap. 3. docens eos summopere cauisse, ne vel uerbo cum hæreticis communicarent. Quod omnibus qui eorum conuersionem sua conuersatione non sperant procurare, imitandum est, ut illi ea ratione erubescant, suamque turpitudinem videant.

Quod autem ad secundam difficultatem attingit circa lectionem librorum infidelium, dicendum est Primò, hanc omnibus iure naturæ esse prohibitam, quibus inde imminet aliquod peruersionis periculum. Patet, quia clarum est vnumquemque iure naturæ teneri hoc euitare. Sed si loquamur de peruersione in religione, hoc periculum non videtur communiter notabile, nisi in lectione librorum

hæreticorum, aut etiam Iudæorum ac Mauro-
rum. quare horum lectio singulariter prohibita est.

Dicendum Secundò, iure Ecclesiastico omnibus etiam doctis & firmis in fide prohibitum esse legere libros hæreticorum, eolue apud se seruare, sine speciali uenia Sedis Apostolicæ, idque sub pœna excommunicationis. Patet Primò, ex Bulla cœnæ, ubi sub pœna excommunicationis reseruata Pontifici, omnibus prohibetur, ne legant, aut apud se seruent libros hæreticorum hæresim continentes, aut de religione ex professo tractantes. Circa quam prohibitionem multa doctè notant Suarez tom. 5. in 3. part. disputat. 21. sect. 2. numero 10. & fidelissimè Sanchez de Præcept. lib. 2. cap. 10. numero 20. & sequentibus. ex quibus pauca adferam.

Notandum igitur Primò, ut quis hanc excommunicationem incurrat, quatuor requiruntur conditiones. Prima est, ut ij libri sint alicuius hæretici. quare legentes libros Catholicorum in quibus resutandi causa inserti sunt errores hæreticorum, etiam si id faciant ut eorum errores cognoscant; hanc pœnam non incurunt: sicut nec ij qui legunt librum Catholicum, in quo sunt aliqui errores contra fidem per ignorantiam admitti, aut etiam praua hæreticorum scholia; quia eiusmodi non sunt libri hæreticorum. Limitat vltimam partem Suarez, nisi ea scholia essent tam ampla, ut liber ex ijs maxima parte constaret; tunc enim ratione horum videtur posse dici verè liber hæretici, à parte scilicet potiore: & quamuis alij hanc limitationem reiiciant, mihi tamen ob dictam rationem videtur admittenda.

Secunda conditio est, ut liber ille vel tractet de religione (quales sunt qui tractant de controuersijs in fide, aut ex professo nostram religionem oppugnant, aut contrariam stabiliunt, aut sacras Litteras, aut partem Theologiæ explicant, aut de cultu Sanctorum aut imaginum, & similibus disputant) uel si de alia re tractet, hæresim contineat. quare quicumque legit librum hæretici de religione tractantem, etsi hæresim non contineat, aut tractantem de alia materia, si uel vnam hæresim contineat, etsi non legat eam partem quæ hæresim continet, dictam pœnam incurret. Ita Auctores citati.

Tertia conditio est, ut hi libri scienter legantur, seruentur, aut imprimantur: quare ab hac censura excusat ignorantia etiam crassa. Incurrunt autem hanc censuram ij, qui eiusmodi libros apud se scienter seruant, etsi id faciant sine animo eos vniquam legendi, ut patet ex uerbis Bullæ. Excipit tamen Sanchez eos, qui eos aliquanto tempore bona fide retinent, ut data commoditate eos inquisitoribus tradant. Item num. 48. ab hac censura excipit eos, qui alium eos libros legentem audiunt, etiam eo casu quo hunc rogant ut legeret, quia verè eos non legunt. Et uerba pœnalia strictè accipienda sunt. Quod non est omnino improbabile, & certum puto, quando audiens non est causa lectionis.

Quar-

Quarta conditio est, ut id fiat sine legitima facultate, quam solus Pontifex (nisi id alicui speciatim concefferit) dare potest.

179 Nota Secundò, in indice librorum prohibitorum regula secunda, nos prohiberi præterea sub pœna excommunicationis sine legitima facultate legere libros hæreticarum, de quacunque materia scripti sint. Aliorum verò hæreticorum libros non tractantes de religione, nec hæresim continentem, tunc permitti, quando à legitima potestate approbati sunt. In quo indice varij etiam libri continentes aliqua fidei Catholice aduersantia, sub pœna excommunicationis prohibentur legi, quidam verò permittuntur postquam purgati sunt. Hæc tamen excommunicatio non est reueruata.

Sanchez. Notat præterea Sanchez suprà numer. 31. ob paruitatem materiæ ab his pœnis excusari qui legeret solam vnam paginam etiam libri in folio impressi, ubi plures etiam particulares casus circa hanc materiam notat.

180 Dicendum Tertiò, contra nostros hæreticos hanc legem Ecclesiæ esse iustissimam, quia ipse est auertere quantum fieri potest omne periculum peruerſionis à suis subditis, quod ex tali lectione grauissimum plurimis impendit, vt docet experientia, & multorum ex ea lapsus. Quamuis autem plurimi sint, quibus ex eiusmodi lectione nullum periculum impendit, quia nimirum docti, prudentes ac firmi sunt in fide, tamen vt illud periculum efficaciter auerteretur, debuit ea lectio generatim omnibus prohiberi, & relinqui solius Ecclesiæ siue Pontificis iudicio, quibus ea deberet permitti. Nam si solum fuisset prohibita ijs, quibus inde periculum imminet, & cuiusque arbitrio fuisset relictum, vt iudicaret an sibi periculum immineret, lex positura nihil superaddidisset naturali, & ita fuisset frustra, nec illud periculum sufficiens ex parte sua impedituisset, nam maxima pars eorum quibus ea lectio periculossima est, iudicasset se ab eo periculo longissime abesse (nam facile de nobis magna præsumimus) & ita securè venena hauisset. vide quæ hac de re in simili dixi tom. 2. de Sacram. disput. 26. num. 21.

181 Probatur Secundò, ex antiquissima Ecclesiæ & Christianorum principum consuetudine. Nam Actorum 19. multi qui fuerant curiosi sectari (legendo scilicet libros magicos, aut alios prauam doctrinam continentes) libros suos combusserunt, qui tamen erant magni pretij, vt ibidem dicitur, & insinuat id factum iussu Apostolorum. Item Concilium Nicenum iussit comburi libros Arii, vt testatur Nicephorus lib. 8. cap. 18. Idemque sub grauissimis pœnis statuit Constantinus Magnus. Vide Baron. anno 325. Item Theodosius & Valentinianus l. Damna- 6. C. de hæreticis & Manichæis, §. Nec verò, iusserunt comburi omnes libros Nestorij. Et Valentinianus ac Mar-

Nicephorus. tianus ibidem, l. Quicumque, §. 8. Nec vlli, sub pœna deportationis in insulam prohibuerunt libros Nestorij aut Eutychemis legi aut feruari. Vide plura hac de re apud A Castro lib. 2. Cominck de aët. supernat.

de Legè pœnali, & Bellarminum lib. 3. de Lai-
cis cap. 20.

Obijciunt hæretici. 1. ad Theſſalon 5. dicitur, *Omnia probate; quod bonum est tenete.* ergo licet legimus hæreticorum libros, vt probemus si quæ in ijs bona sunt. Confirmatur Primò, exemplo D. Hieronymi, qui ex hoc loco probat suam consuetudinem legendi libros hæreticorum. Secundò, exemplo Dionysij Alexandrini, qui teste Eusebio lib. 7. historię cap. 6. reprehensus quòd legeret libros hæreticorum, respondit sibi in visione dictum fuisse, *Lege omnia quæ ad manus tuas venerint, valebis enim omnia expendere & examinare.* Similiter Theophilus Alexandrinus reprehensus quòd legeret libros Origenis, quos ipse cum alijs damnasset, respondit se ex ijs velut ex quodam prato bonos flores colligere, & quæ spinosa ac aculeata erant prætereire.

183 Respondeo Apostolum ibi loqui solum de prophetiis nondum damnatis, siue quæ nondum erant examinata: quales essent: nos autem agimus de libris hæreticorum iam ab Ecclesiâ damnatorum. Item Apostolus vult illud iudicium esse non alicuius priuati, sed ipsius Ecclesiæ, ad quam scribit, siue ipsorum Præſulum Ecclesiæ, quare hic locus nihil contra nos facit.

Ad primam & secundam confirmationem, respondeo tunc temporis non omnes hæreticorum libros fuisse generali omnino lege prohibitos, sed tantum certos, nunc autem omnes prohibiti sunt. His adde Primò, vel illis exemplis satis constare fuisse tunc temporis in Ecclesiâ consuetudinem communiter receptam, etsi fortè non ita strictè omnes omnino obligantem, abstinendi prius ab omni lectione librorum hæreticorum: alijs dicti viri non fuissent reprehensi, quòd eos libros legerent. vnde etiam Dionysius Alexandrinus ante cælestem iussuionem non fuit ausus eos legere. Adde Secundò, dictos viros fuisse in Ecclesiâ valde eminentes, quibus idè tunc meritò eiusmodi lectio fuit speciatim permessa, iuxta canon. 16. Concilij IV. Carthagin. vbi Episcopis permittitur vt libros hæreticorum necessitate id exigente, verbi causa, vt eorum errores refutent, legant; qua ratione etiam modò id multis speciatim à Pontifice permittitur.

D V B I V M XII.

An infidelium ritus tolerandi sint: aut ipsi, vt eos deserant, cogi possint?

184 Nota infideles triplicis esse generis: quidam enim sunt baptizati, quales sunt omnes apostatæ à fide, siue sint Iudæi siue Gentiles. Alii verò non sunt baptizati, sunt tamen subiecti principibus Christianis. Alii demum nec baptizati, nec his villo modo sunt subiecti & circa hos est præcipua difficultas, vtrum Ecclesiâ, aut principes Christiani possint eos cogere vt vitent peccata contraria legi naturæ, &